



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quotuplex sit hypotheca?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITVLVS XXI.

## DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

## §. I.

Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quoruplex sit hypotheca?

Pignus pro ipso contractu pignorationis acceptum rectè describitur; quod sit obligatio rei licita pro debito, facta, ad securitatem scilicet creditoris. Quia verò pignoris nomine etiam res ipsæ, quæ in securitatem pro debito obligantur, veniunt, idèd distinguunt aliqui inter pignus, & hypothecam, ut pignus dici velint ea, quæ mobilia sunt; hypothecam verò dicant ea, quæ immobilia sunt, & dicto modo obligantur: in effectu tamen, ut facile patet, nulla est differentia, & hinc pro synonymis passim accipiuntur. Dividitur autem pignus sive hypotheca, ut alia sit tacita, quæ, licet inter contrahentes de ea nihil sit conventum, ex legis tamen dispositione intelligitur contracta, seu constituta; alia verò sit expressa, de qua expresso consensu inter contrahentes convenit; quæ utraque hypotheca, seu pignus subdividi potest, in generalem seu universalem hypothecam, quæ ad omnia bona tam præsentia, quam futura obliganda se extendit; & in specialem, per quam certæ res in specie oppignorantur.

## §. II.

De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti, pro dote recuperanda; & Ecclesia in bonis Prælati male administrantis.

Quòd uxor pro securitate allatæ dotis, & hujus restitutione tacitam, sive ipsâ lege constitutam, in omnibus bonis mariti hypothecam habeat, ex utroque jure patet, l. Vn. §. Et ut plenius. Cod. de rei uxor act. cap. ex lit. quinto b. t. ita ut non tantum privilegiata sit hæc hypotheca, & aliis omnibus Creditoribus, quamvis anteriores sint, si tacitas tantum hypothecas in bonis mariti habeant, præferri debeat, sed in optione etiam uxoris sit, si contra tertium bona mariti possidentem agat, pro dote, tacite obligatâ, alternativè petere, vel bona sibi tradi, tanquam hypothecata tacite, vel possessorem cogi ad dissolvendum debitum, cujus causa talis hypotheca constituta est.

Quòd autem omnia bona etiam Prælati, vel alterius administratoris bonorum Ecclesiasticorum tacite oppignorata sint Ecclesiæ, pro administratione mala, ratio paritatis probat, à tutoribus, vel curatoribus desumpta, quorum bona tacite hypothecata sunt pro mala administratione rerum ad pupillum, vel

§§ 3 mi